

QK. 525.9.

II n
7254

X 1997955



E
A
R
de
sto

Farrago

ELLOGIORVM

ATQVE EPITAPHIO-

RVM IACOBI ANDREÆ SCHMI-

delini, cognomento Volaterrani, Apo-

stoli Ubiquitatis, hostis blasphemæ ve-

ritatis & gloriæ filii Dei, ac persecu-

toris crudelissimi ortho-

doxorum,

COLLECTA IN GRA-

tiam Patronorum viriusque

Ubiquitatis.

BIBLIOTHECA
PONICKAMIANA



OE STROPOLI,

Anno

M. D. XC.



AD N. S. EXPON-
TIF. LIPS. ATQVE E PATH-
*mo Magdeb. viros bonos & or-
thodoxos allatrantem.*

CVI laudes dico nobiles Fabelli,
Tanti sed meritis viri minores:
Nicolaë tibi: venire nam te
In partem decet istius camænæ,
Fratris participem tui laborum,
Pro sceptroq; trucis fero Chimæra
Haustorum socium periculorum.
Hoc ergo cape quicquid est, tuisq;
Expecta meritis pares honores,
Qui te post obitum manent perennes.

R. M. B.

EL

ELLOGIA I A-

COBI ANDREAE SCHMI-

delini cognomento Volaterrani,

Apostoli Ubiquitatis &c.

I N I A C O B. A N D R E A M

Schmidelinum, Theologum larvatum,

Epigramma Marj Gruchi.



Mnibus es maior, minor omnibus
vnius & idem es

E conurato, dire Fabelle, grege.

Ausonio commune tibi cum presule

virumq,

sed nec virumq, vno quadrat viriq, modo.

Se caput Hesperio summum Papa venditat orbi,

Sed ficta seruum sub pietate vocat.

Tu, quem vana facit stolidum persuasio, fastus

Inflat, recordi prosperitate tumens,

Largiloque saperas quoscunq, volumine lingua,

Qua prestant alij, sed minus arte vales.

Scilicet hanc petulans, mendaxq, proteruia supplet.

In buccam quicquid nam venit, ore vomis.

Hinc doctam putat, hinc te credula turba disertum,

Et cui non quenquam sit reperire parem.

Charis per mundum volitas, miracula iactans

Quae tua, magnorum oracula suntq, Ducum.

Quid sis, manei ium Satane, vis eloquar? Audi,

Turpis es, ambitio quem leuis inflat, vter.

IN COLLOQVII, VEL FA-
bulæ potius Badensis 20. Nouembris
Anno 1589. actæ, binos histriones,
Ioannem Pistorium, fide Apostatam,
professione Medicum, & Iacobum An-
dream Fabellum Nestorieutychia-
næ Ubiquitatis Fabrum &
Pseudapostolum.

Constituere duo lites componere sacras,
Perfidus hinc Pistor, pessimus inde Faber.
Scilicet hi poterunt lites componere sacras,
Ille Deos pensens, iste Deos fabricans.
Ille quidem crustum, ceu verum numen, adorans,
Corporeum hic fabricans, qui sit ubiq, Deum.
At tu Pistores procul, & procul exige Fabros,
Verus, Christe, Deus, ceu quoq, verus Homo.

I N E O S D E M.

Bini Badensis histriones fabulæ,
PISTOR patris propago degener optimi,
Crustaceorum impure Pistor numinum,
Papæ ruentis putre sustentaculum,
Non digne turpem bases cuius pedem;
Sed digne, figas cuius oscula natibus.
Fabelle, veteres qui recudens fabulas
Tot follibus mendacia vomis pectoris,
Fabelle, capite erroribus tam turgido,
Quàm prominente adipis onuste sarcina,

In

In quo renatum Marcionem cernimus,
 Quo Nestorius & Eutyches, ceu pronubo,
 Errore nexi dispari quantumlibet
 Peperere monstrum ubiquitatis impia,
 Quis hic furor & proiecta quae est audacia &
 Tractare sacra audere vos mysteria?
 Spondere Christi audere vos pacem gregi?
 At, ô beatæ principes Germaniæ,
 Mentita Iesum quos adhuc fallit cohors,
 Prudentiæ cuius vel est sapientia,
 Satana ex magistro veritatem accersere?
 Sperare pacem litium ex fautoribus?
 Et posse fieri somniare ut indicent
 Lucem tenêbræ, veritatem falsitas?

IN SCHMIDLINI & PISTORII
 λογομαχίαν Badensem.

Certauere Faber nuper, Pistorq; duello:
 Pistor tyro, Faber sed veteranus erat.
 Deuictō Fabro cupit inclarescere Pistor,
 Pro veteri haud renuit prælia laude Faber.
 Robore & ætate est Pistor potior: Faber usu
 Pugnandi, & notâ garrulitate prior.
 Ictus Pistoris solita Faber effugit arte:
 Pistor agit logicè, pinguius ipse Faber.
 Disceptant, quanam sit vera Ecclesia, Fabro
 Et Pistori in qua vix reor esse locum.
 Turbat enim passim cætus Faber iste piorum,
 Atq; pio Pistor deficit iste grege.

A 3

Fabri-

Fabri & Pistoris opto contendere pergant,
Ut pax interea sit requiesq; bonis.

IN FABRVM TVBIN-
genscm nescientem
συλλογίζεσθαι.

Organa docta Faber nescit tractare Tubingus,
Quæ vera monstrant cum ratione loqui.
Ergo cum Sterope, Bronteq; fabrilia tractans,
Lemniaca ferrum molliat arte Faber.
Malleus atq; incus, gemini cum forcipe folles,
Indocto sunt hæc organa digna Fabro.

IN EVNDEM.

Multa Tubingensem scripsisse volumina Fabrum,
Multaq; facunda garrulitate loqui,
Germanosq; inter doctores nomen habere
Clarum, qui Christi corpus ubiq; locant,
Credo: nec tamen hunc doctum cum plebe vocarim
Ignara, talem se licet esse putet.
Nescit ubi lateant penetralia sacra Lycæi,
Castaliusq; latex purior vnde fluat.
Nesciuit Logices ullam formare figuram
Nuper, nec vera cum ratione loqui.
Hoc cum vidisset non solus Apostata Pistor,
Auricularas asini dixit habere Fabrum.

la

IN MULCIBERVM
nouum litteratorem.

ET gladiū atq; crucem meritis, dū Mulciber haret
Carnificine gulam præbeat, anne caput:
Ecce cruci mira dubium genus arte dicauit.
O vafri lepidum grammatici ingenium!

IN EVNDEM EX APO,
phthegmate principis cuius-
dam Illustris.

Imple anima folles; fornacibus ignis anhelet,
Malleoliq; incus fulmine tota crepet.
Ut fraudum cudas laqueos, ac texta dolorum,
Et clarum inuoluas nocte nigrante iubar.
Tempus erit; tibi cum tollenti brachia, dextrano
Inijciat, fabricans tela trifulca Deus.

IACOBVS AN-
dreas Volaterranus.

Quesitum multis numerum subducere, lector
O Christiane, si probè vis bestia,
Cornua quæ gestans agni, genus orane cœgit
Impressa dextris signa ferre, ac frontibus;
Collectum ratione sui de nominis illum
illum Volaterranus Andreas dabit.

IN SCHMIDELINVM.

Quis dubitet Fabri genitum de stirpe Fabellum?
Huius eum quamuis pœnitusse ferant?

A 4 Ignite

Ignito sua cum passim deliria ferro,
Hoc etiam Bronæ dogmata dira tegat,
Si, per qua peccat quis, pœna per illa redundat,
Ibit in ardenes igneus ipse rogos.

IN PISTORIVM.

Corpora perdebat, cœpit dein perdere causas
Pistor: conatur perdere nunc animas.

IN SCHMIDELINI GRAM- maticam.

Ceratinus iste, quem stupefcunt Misnæ
Tanquam Leonem, aut alterum Typhœa,
Fœnum ambidextris gestitans in cornibus
In omne, in omnes impudens grassatier,
Qui res profanavit sacras, profanaq;
(Si t' ijs placet) sacrauit, ex Volcania
Incude protulisse Grammaticen novam
Nuper ferebatur; relatu digna res,
Non credidissim, ni meam liber ad manum
Venisset, inibi namq; cornu scriptitat
Pluralitatis, (ut ita me liceat loqui)
Carere numero, O rasitorem cornuum,
Et singularem Grammatistam! Diceres
Nunquam pot hoc, aut scriberes, tua ipsius,
Cornute magne, si videres cornua.

SCHMIDLINI METVS.

CORNV Fabellus cur sibi adserit vnicum?
Prodatur ipse ne bicornis bestia.

IN

IN NOVVM ERISICHTHO-
na & Metram eius no-
uam.

Fertur inexplendis Erisichthon faucibus ardens
Thessalus vt natam prostituisse suam,
Hecq; subinde alias aliasq; induta figuras,
Semper amatores ludificasse suos:
Sic & auaritia flagrans odioq; Philippi,
Prostituit Metram vane Fabelle tuam,
At veteres illam, formas quia transu in omnes,
Segnius incipiunt deniq; amare proci.
Dū faxint, mendax, crudelis, auare Fabelle,
Tandem Erisichthonia conficiare fame.

HOSTILITAS SCHMID-
LINI.

Pellere dum vasto quondam tentaret Olympo
Superos Titania pubes;
Præpete Vulcanus tunc instruxisse parentis
Perhibetur fulmine dextram.
Quo fratrum disiecta cohors obscæna Gigantum
Ad Tartara corruit ima.
At vice nunc versa nouus hic cur Mulciber vltro
Titanibus arma ministrat
Aduersus cælum, dum mendax infima summis,
Ei cælo Tartara miscet?
Desine mirari. Satus est Ioue Lemnius: istum
Genuit regnator Auerni.

A S

Hinc

Hinc odium in Christum, Christiq; pios, quibus hostia
Non seuior imminet vllus.

PARODIA CATVLLIA
na in Schmidelinum.

FABELLVS ille, quem videtis Austrij,
Ait fuisse Rhetorum vaserrimus,
Neq; vllius licenter aulicos Ducis
Nequisse promouere, siue fabulis
Opus foret ciere, siue fascino.
Et hoc negat potenter Hassia solum
Negare, Balticiue litus aequoris,
Dubimue Sequanum, albidamue Misniam,
Silesida, plagaeq; Suenica situm;
Ubi iste (deinde rabula) antea fuit
Pernica rana : Nam Tybingio in luto
Loquace mille gutture edidit sonos.
Phalacre victor, atq; Beza palmifer,
Tibi hoc fuisse & esse cognitum nimis
Ait Fabellus. Auidâ ex voragine
Meros blatisse dicit in scholis logos,
Superna miscuisse frivole inferis.
Et inde tot per impudentia probra
Lucrum tulisse, laeva siue dextera
Tumeret ære, siue viramq; Iuppiter
Numismata aurea impluisset in manum.
Neq; vlla puncta conscientiae malæ
Sibi esse fixa, trico cum bonis simul
Viris, simulq; subliniret os DEO.
Sed hætenus. pigenda nunc luit sacro
In igne facta, seq; deuouet tibi,
Patrone Dæmon, & patrona Dæmonis.

ALIA

ALIA PARODIA.

CYDÆMVS ille, qui fricare nobiles
Aut fuisse sycophanta pessimus,
Neq; ullius bene audientis os viri
Nequissime collutare, siue crimine
Aueret his nocere, siue toxico.
Et hocce pernegat lacus Lemannici
Deos negare, filiasq; Rhenidas,
Lycumq; Suenicum, vuidamq; Rhetiam,
Badenida, atq; plenum arundinis Nectum.
Vbi iste, post Cydamus, antea fuit
Susurra vespa: næ Tybingiâ in scholâ
Procace sæpe puluerem excijt sono.
Scelestè Pappè, & Osiandre furcifer,
Tibi hoc futurum & esse cognitissimum
Probè histrio scit, ex mera libidine
Flagrasse dixit in vorace Thaide,
Putri imbuisse coleos in inguine,
Itemq; nequiore cum iuuenula
Fabrum cubasse, pura, siue menstrua
Vocaret hora, siue virumq; pruriens
Subinde penis appetisset ad specum.
Neq; vlla flagra criminalium Deum
Sibi esse iniusta, cum subaret has nates
Cinédicas, ad vsq; putridum finum.
Sed hæc satis superq; nunc reciproco
Rubet pudore, seq; mancipat tibi,
Canine Anubi, & os profanum Anubidis.

IRRI.

IRRISIO SCHMIDELINI.

Cur negat in caelis, & Christi corpus habere
Hic simul in terris vult Ubiquista Faber?
Quòd non dissolui, aut cum Christo cogitat esse,
Cum Christo Paulus quo cupit esse loco.
Semper in hoc mundo, regumq; potentibus aulis
Terrea caelorum regna tenere ratus.
Ergo suo quoniam viventem in pectore Christum
Numine non sentit, corpus habere cupit.

SCHMIDELINI DIS- crepantia.

Pythagoras fertur fabrorum audisse sonantes
lētūs, sicq; ἄγῶν, sicq; notasse Δέσις:
Mularum è vario donec discrimine vocum
Dulcisonam tandem fecerit harmoniam.
Vnanimi ex vocum Faber hic modulamine miscet
Discordes crepitus, & sine mente sonos.

IN COLLOQVIVM B A- dense Fabri & Pistoris.

Conuenere Faber, linguae fuligine fuscus,
Pistor & à cribris albidus Ausonijs;
Ille, Deo vt fabricet similem sibi; quae sit vbiq;.
Atterat vt cribro, ceus Satan, iste domum.
Ætnæos fumos Pistor ridebat, eâdem
Constitui cernens, seq; Fabrumq; domo.

B

*At Faber incensus, servatum καρδιογνώση
Cribri transcribat ius, rogat, vnde sibi ?
Respondit Pistor, cribrari absq; ordine lecta
Saxa, sacræ meritò materiemque domus;
Formandum Faber esse alia hoc incude reponit
Cribrum, per quod nil differat ara ab hara.
At leuis euasit laxa de forcipe Pistor,
Atrius cribro sed Faber interijt.*

**IN EFFIGIEM SCHMID-
lini, cum auriculis aselli.**

*JLlius hac fœdâ spectas in imagine vultum,
Qui pia discordi fœdera pace secat,
Et sacra Leucoreis pacata palatia Musis
Perturbat, docti voce dolente gregis.
Squalida sopitæ mouit certamina litis,
Misnia quæ dubiâ religionè facit.
Afflictis fidei mendaci gutture rebus
Insultat, tristi quò mala clade ferant,
Fortis vt oppugnet Christum Christiq; ministros,
Tum vitam impendit, tum fera fata ciet.
Quæ tormenta feret Stygium detrusus ad Orcum,
Polluit in terris qui pia templa Dei!*

M E M O R

MEMORIAE
IACOBI ANDREAE
SCHMIDELINI, COGNOM-
ento Volaterrani, Apostoli Ubiqui-
tatis, hostis blasphemi veritatis & glo-
riae Filij Dei, ac persecutoris
crudelissimi Ortho-
doxorum.

Πολλὰ φαγῶν, πίνων θ' ἅμα, ψευδόμενος
δ' ἐπιπλείω,
Σὺς δρώων ὡς δ' ἄγριος πλείω κακ' εὐσεβείας.
Ασιδορέων τε μάλιστα θεῶν, τέκτων ὁ Σέηθος
ἐν τῷ πλὴν μάργον γαστέρα θήκε τάφω.
Τὴν ψυχὴν ἄθεον, βροτολοιγῶν ἔμπλεον ἔχθε
ὧι δῶκεν, Δαίμων ἤρπασε, κευθμὸς ἔχει.

Id est:

Multa vorans, & multa bibens, mendacia spar-
gens
Plura, pios vastans instar agrestis apri;
Atq; Deum lingua ledens, Faber ille Suevius
In glumam ventris condidi hoc tumulo.
Plena simultatis fuit huic anima impia dira;
Cui dedit hanc, Satanas abstulit; Orcus habet.

ALIVD

ALIVD.

Conditur hoc tumulo **IAMBRAE** fraterculus,
lus, autor

Sphingis, Bergenses quam genuere Patres,
Carnem, Christe, tuam ventris qui fecerat escam;

Qui scelerum consors Iscariotis erat.

Electos reprobis, caelum qui miscuit Orco;

Qui Satanam ciuem tradidit esse poli.

Qui varia sanctos vexavit fraude, doloq;

Spurcitiae follis, nequitiacq; Faber.

Impostor, mendax, auri captator & auræ;

Deceptor procerum, garrulus, arte rudis.

Cui nec sacra fides, nec mens erat integra, corpus

Pollutum vitijs, turpe libidinibus.

Zelus hypocriseos sceleri prætexier effrons:

Poneret ut laqueos, ingeniosus erat.

Vix Geticus magè, Christe, tuos afflixerit agros,

Eheu, quàm ferus hic depopulator, aper.

Summus qui fuerit labor, accipe: rodere cæpit

(Horresco referens) biblia, scripta Dei.

Quid lupus intactum linquat, cui sancta Iehouæ

Non satis à morsu pagina tuta fuit?

Haud locus in cælo super huic: nec enim locus illi

Cælum erat; ergo scelus claustra tenent Erebi.

Vidi ego spirantem plenis mendacia buccis;

Præterij quærens; ille ubi? nullus erat.

Ab miser, ab, etsi quis tollat ad aethere cristas:

Quod taræen in Christum suscipit, omne ruit.

Vitrix

Victrix causa Dei est; iacet hostis, hypocrita, Suenus;
Sub cruce grex Domini Victor inermis onat.

ALIVD.

Quid vacuum cernens tumulum mirare viator?
Cuius hic est, erro Suenus ubique fuit.
Non caelo capitur, caelum qui sustulit omne,
Non Orco, cui non Orcus & ipse fuit.
Sed caeno recubat, caeno cui nuper in omni
Corpus erat, porci quolibet inq; fimo.
Discere nomen aues? impuro nomen Agyrtæ,
Candida quo vanum non magè vidit Eos.
Huius ab ore Satan fraudum connexuit hamos,
Aggressus proceres illaqueare dolis.
Huius ab ore Satan conuicia dira profudit,
Aggressus summo dice e probra Deo.
Ars huic in cunctas rerum se vertere formas,
Nunc imbellis pecus, nunc erat hirtus aper:
Ut gravidam erueret tenero cum palmite vitem,
Quam dextra Christus seuerat ipse sua.
Hæc est (nominibus sua si præsagia constant
Et numeris) hæc est bestia sæua, procax;
Cornua quæ gestans agni, genus omne coëgit
Ferre suam manibus, scribere fronte notam.
Quæque recusantes, patria domibusq; vagari
Extorres, inopes heu laris, ignis, aqua;
Carceris aut clausos tenebris, & fornice nigro,
Compulit erepto Sole videre diem.
Nunc ergo sua facta luit, Vagus, exul Olympo,
Supplicijs Orcum nec negat esse suis.

San

Sanguinis en reus innocui, quem fudit Abelus,
Fudit Abeligenum quem generosa cohors.
Quam Papæ furijs obiecit iudice libro,
Irenes nomen cui dedit, auctor Eris.

ALIVD.

PANDORA pater Vtopiæ volitavit in oras,
Pandora ô vitinã trãsuolet ipsa simul, bras
Transuolat ipsa simul: quin & prius iuit ad vni-
Quam faber Vtopiæ, quam sua nescit humus.
Ergo impunis abit? sicca sic morte tyranni,
Sic obiit sicca Galla Megara nece.
Scilicet indignos pænis leuioribus, atræ
Plectendos seruant Numina iusta Stygi.

ALIVD.

QUOD Tamerlanes mundo fuit horridus armis,
Offensi flagrum virgaq; stricta Iouæ:
Illud Schmidlinus linguæ crudelibus ausis
Sanctæ Ecclesiæ, Christe, erat omne tuæ.
Quam tibi delectam, Latijq; à fraude tyranni
Assertam, in magno Teutonis orbe foves.
Huic, quia divini semen mala nausea verbi
Læser at, efflictim plurima damna dedit.
Vtq; aper est segeti clades, vt vitibus hircus,
Vt contagio gregi, fungus vt arboribus:
Sic æruscator Suevus, gelidissima pestis
Germanis, sacris agminibusq; fuit.
Dogma serens falsum, depromptum ex Eutychie ore,
Quod Christus vera sit sine carne caro,

Et quòd eã, Deus ipse velut, sit vbiq; locorum:
Quin talem in cœna tradidit esse sacra,
Carnem non carnem: corpus, quod corporis expers
Naturæ, cerebri somnia vana sui.
Prodigus hinc linguæ fit circumcellio turpis,
Aulas perfricta fronte latenter adit,
More & serpentis, primò conuertit in Euam
Astuti ingenij callida tela sui:
Hac expugnata rigidus post cessit & Adam,
Pomum Eridis subito regnat vbiq; noua.
Carceris hinc horror, fuga, egestas, probra, minaq;
Horrenda, & Pathmi vincla parata pijs.
Cum nolent dare colla iugo, malè sana perosi
Dogmata, cernentes & sibi verba dari,
Quando operi instabat diro Volcania proles,
Cudendo indignum nomine, luce librum.
Qui sciens pacem Christi, Concordia voce
Mendaci dictus non sine fraude fuit.
De quo Christiadum Boreali Regis in orbe
Summi quondam, extat vox generosa sono.
Vox vera, atq; imis ponenda in sensibus, vt quæ
Depingat cladem, grex sacer, vna tuam:
Quam tantam, heu nobis nunc irreparabile damnum
Eutychnianismus Pantichicus dederit:
Vt si, Di; vertant aliter, Germanidos oras
Trux Geta complexset milite fortè suo,
Depopulator agri: tamen haud Ecclesia damni
Tantum passa mali per media arma foret.
Prestitit hæc ausis sceleratis Sueuica Erinnyis,
Quando Schmidlinus Papa colendus erat.

Sustulit

Sustulit hanc furiam postquam tua dextera, Christe,
Abijciens virgam, qua prius vsa fuit
In natos, canimus tibi lato carmine laudes,
Devotaq; tuam mente precamur opem.
Ut quibus eripuit Sphinx hæc oculosq; animosq;
Nunc redeat sanis intemerata fides.

Ad Iambren Iannæ Fr. *ἰαμβρεμηνέω.*

NUNC abitur, Iambre, accelera, dum dedit
fratri

Non vacat in pœnas infera turba tuas.
Tisiphones dum fessa manus, dum flagra, facesq;
Torpent, & lassæ vulturis unguis hebet.
In te namq; recens ruet hinc exercitus Orci,
Si paulùm lenta morte moratus eris.

IN OBITVM IACOBI AN-
dreæ Schmidelini.

ERgo etiam tu, post tot, Schmideline, labores
Frigidus, exanimisq; iaces? Appello labores
Dentatas chartas, sannas, certamina, lites,
Quas alij tibi, quas tu alijs sine fine mouebas.
Scilicet hi motus animorum, hæc iurgia tanta
Exiguæ iniectu terræ compressa quiescunt.
Non nostri est moris cuiusquam carpere manes:
Sed tamen hoc metuo, ne, ceu sententia trita est,
In medio fessos alij dare lampada cursu:
Sic tu alij, dederis quoq; cum te fata vocarent,
Horrissonum, quo tot cecinisti classica, cornu:
Aut, quo consueras sufflare incendia, sollem,

B 2

I A C O.

IACOBI ANDREÆ VBI-
quitarij Epitaphium.

Iacobi Andreae corpus non hic iacet, illud
Vix certo possit quis reperire loco.
Sparsit ubiq; suum doctrinae corpus, adesse
Quo Christi, at falso, corpus ubiq; docet.
Hoc fit Iacobo corpus moriente cadaver,
Quod quia ubiq; fuit, sic & ubiq; iacet.
Ast anima ipsius, quæ tantas fecit ubiq;
Errorum turbas, errat in Utopia.
Mirum, qui superos claudebat ubique locorum,
Huic superos nullum constituisse locum?

IN OBITVM SCHMID-
lini.

Fata suum Sueuis tandem eripuerunt Fabellum,
Cuius sera bonus funera quisque dolet.
Sit **DIUVVS**, quoniam hac defunctum voce magistrum
Discipulis placuit condecorare suum.
Sit **DIUVVS**, modò non sit viuus, ut æmulus ille,
Quem frater sæuo sustulit imperio.
Sit **DIUVVS** Latiae priscis cum regibus urbis;
Sit **DEVS**, ut Caesar Claudius, atq; Nero.
Ast ego post mortem dici volo & esse beatus,
Vex est conueniens manibus illa pijs.

IN OBITVM SCHMIDLINI.

Nauigio metuens, præpingui corpore Fabrum
Talibus affatus dicitur esse Charon:

Ample

*Ample pater, Siculam quæso tibi sume triremem,
Sutilis huic oneri non satis apta ratis.
Cælum non merui, Faber inquit, terra relicta est;
Nunc Orco excludor, dic mihi quò fugiam?
Consule Pistorem, respondet portitor Orci,
Illustrem poterit nominare locum.
Illustrem flammis animas purgantibus, illo
Ante decem fueras dignus Olympiadas.*

ALIVD.

*Querebam nuper Fabrum, sed reddita vox est,
Andreas nusquam est, qui modò ubiq; fuit.*

CARMEM ἐπιτάφιον IACOBO Andreae Fabello vel iam mor- tuo vel morituro.

Ille Faber semper veri simul hostis, & artis
Quæ verum monstrat cum ratione loqui.
Ille tacens nunquam, nec cum ratione locutus,
Et sola notus garrulitate Faber.
Hic tandem (ô Nemesis) tot vivus nescius annos
Arte docente loquus, morte iabente tacet.
Fac sapiant, aut sic taceant, Deus optime, quotquot
Hunc simili referunt garrulitate Fabrum.

IN

B 3

IN PATRVM TVBINGEN-
fium contentiones de Hierarchia
post Schmidelini mortem.

*Sicut, Alexandrum Magnum cum fata tulissent,
Inter precipuos lis fuit orta Duces:*

*Sic nuper, postquam Schmidelinum fata tulerunt,
Inter Sueuiacos lis fuit orta Patres.*

*Pugnauere duces pro magno regno Orientis,
Pro sacro imperio grex capit arma Patrum;
Sanè discipulos sese satis esse fatentur,
Non bone Christe tuos, sed Schmideline tuos.*

IOVI STYGIO SACR.

*Iacobo Andreae Schmidelino, nec Pontificio, nec Lu-
therano,*

*Neq; Theologo, neq; Medico, neq; Iurisconsulto,
Nec philosopho, nec logico, nec Oratori,
Nec calibi, nec marito, nec casto, nec adultero,
Sed ex omnibus aliquid:*

Recepto neq; calis, neq; terra, neq; abysso,

Sed vaganti vbiq;

*Regius Morgus Bernas, nec agnatus, nec cognatus,
Neq; parens, nec frater, neq; amicus, neq; inimicus,
Neq; lugens, neq; gaudens, hunc nec tumulum, nec
sepulchrum,*

Neq; monumentum; Sed Cenotaphion

Volens Nolens poni non poni C.

IN FABELLVM SVÆVICVM DEFVNCTVM.

*Mnes fleant mali, honic; gaudeant,
O Nam mortuus Fabellus est Svævicus,*

Fabellus

Fabellus ille, Formula concordia
Confarcinator impiæ nequissimus,
Ubiquitatis & nefandæ Apostolus,
Procace lingua qui fidelium greges
Afflixit, bis nocens petulco scommate,
Dum Principes & hos, & has Respublicas
Agyra adit proteruus, & calumnijs
Famam bonorum arrodit impudentibus,
Reos agens eos profani dogmatis
De Filio Dei, & sacris mysterijs,
Et hæc vocans Calviniana dogmata,
Quæ Christus ipse, quæq; Apostoli, & pia
Rectè docet, sequens eos, Antiquitas.
Blasphemus interim, quod Arius,
Quod sensu Eutyches, quod & Nestorius,
Impostor ille sparsit impiissimus.
Et insuper subscriptione Nominum
Firmauit hæc delira monstra, per dolum
Quam plurimis extorsit, atq; per metum,
Aras, scholasq; & curias erroribus
Discordia replensq; inexpiabili.
Ergo Fabellum mors quòd atra sustulit,
Tanto pias malo leuans Ecclesias,
Omnes fleant mali, boniq; gaudeant.

ALIV D.

Umbra leuis Fabri veniens ad limina cæli,
Arcta relaxari dum sibi claustra petit.
Hunc Petrus, Elysia caelestis Ianitor aule,
Aggrediens dictis, quis sit, & vnde, rogat?

Ille

Ille refert: Faber ille ego sum vulgatus VBIQVE
Auctor, Consensus sum Faber ille Libri.
Tum Petrus: æternum viget hic Concordia, libri
Indiget auxilio nil locus iste tui.
Sed liber ille tuus pro pacis fœdere fertur
Omnia dissidijs implicuisse nouis.
Dum Proceres odijs implet, dum templa scholasq̃
Dissipat, & doctos pellit in exilium.
Dum blasphema serit deliria, qualia sparsit
Eutychis impietas, Nestorijq̃ furor.
Quæ sine fronte tamen defendere diceris vlla,
Cui cælum lucrum est, & Deus ipse iocus.
Ergo ne placidos populos, caliç quietem
Hic etiã turbes, ocyus hinc apage.
Quin petis hoc cælum, cuius Faber auctor es, in quod
Impuros genios hæreticosq̃ locas.
Hoc cælum dignum est te, tuq̃ hoc dignior, illic
Accipies factis præmia digna tuis.

ALIVD

F N pauido suffert tremulos dum pectore motus,
Expirasse malus dicitur ille Faber.
Conscia forsã ei mens de tot turpibus ausis
Et morbi & mortis causa propinqua fuit.
Heu mihi, quos trepido motus in pectore, stabit
Cum miser ante Dei iudicis ora, feret!
Cum sua censerit periuria, dogmata, fraudes
Inq̃ homines, lusus audiet inq̃ Deum.
Non infernus ei cedit, quo demonas ipse
Cum castis genijs congregat atq̃ Deum.

Sed

Sed loca densa situ, cæcisq; abstrusa caueernis,
Undiq; sulphureis sed loca plena globis.
I nunc, lude, Faber, Christum & mysteria, sentis
Iam puto cælestes pondus habere minas.

ALIVD.

Pallida defuncti nunc hinc atq; inde vagari
Sedibus incertis dicitur vmbra Fabri.
Cur ita? Nam cælum quærit, quod cum sit vbiq;
Atq; ideo nusquam, non reperire potest.
Sic igitur falsum cælum dum quæritat, Exul
A vero cæli limine semper erit.

ALIVD.

Felis vt ingratum fugitiua relinquit odorem,
Puluis vt exoritur, dum mala saltat annus:
Sic etiam Sueuus post se moriendo reliquit
Semina dissidij vix moritura Faber.

ALIVD DE INTERI- tu Ubiquitatis eiusq; parentum.

Vera canam, miranda canã sed, semper & canẽda:
Adeste Musæ plausibus sonoris.
Hesbusius postquam dedit impiger atram Ubiquitatẽ
Sepulchro, & ædes Ditis ad profundas
Prostratam misit, sequitur mox victor inferorum
Ad incolas. Hunc gressibus citatis
Musculus, æternas claudens sua lumina in tenebras,
Ubiquitatis nobilis Patronus.

B 5

Kemni-

Kemnitiuz quoque se mature tradidit misellus
 Ad inquietas Tartari paludes.
 Vidit & extemplo, Faber impius, omnium malorū
 Et autor & fax pessimus: bonorum
 Hostia at indomitus cunctorum, turbidus gemensq;
 Mora sine omni, fictum ubiq; celum.
 Non secus ac socij, quos diximus, illico subintrat,
 Superstites hinc euocare fertur,
 Nūc ad, quod nusquā est, commercia, gaudia atq; celi,
 Sibiq; dudum debitos honores.
 Utq; abitū accelerent, veniāt & quò vocat Fabellus,
 Precatur omnis grex simul piorum.

ΕΙΣ ΑΝΑΘΗΜΑΤΑ
 παρὰ χαλκείας.

Ραυσήρα; καρκίον τε, ἢ Φιλήνεμον
 Αὐλὸν καμινευτήρα, ἢ σιδήρεον
 Πολυκρότητον ἄκμον', ἢ ὑπερμέγαν
 Ἐῖσιν ὄλβον εὔρετ', ἄλλοισιν κακὰ,
 ἄνθηκε χαλκεὺς κανθὸν ἐξοφωμύθη.
 Θανέμυός τε. τῶ; ἴσως τις εἴρεται:
 Τροασοῖς, ἀναμδεία, φθόνω, ψεύδει, τρισίν
 Τύτοις ὅλον βίον καθιερῶσαιτο.

IDEM LATINE.

CUM folle, forcipe, atq; malleo graui,
 (Caligo mortis atra quando lumina

Tege-

Tegebat) incudem, super quâ liberis
Procuderat suis bona multa, alijs mala,
Hic consecrauit, at cui ? forsan rogas:
Tribus : impudentiæ, inuidiæ, mendacio.
Tribus his suam vitam Faber deuouerat.

CVRRVS ET AVRIGA Israelis.

Hic iacet ille Faber, currus auriga Lutheri,
Quem temerè adscendit, sed stultis exiit ausis.

THRENODIA VBI- quitatis.

Quæ sublimis equisq; curribusq;
Maestate grauis, nitensq; nuper,
Bacchantis populi sonore multo,
Et plausu vario per uniuersa
Passim compita, & urbium plateas,
Per palatia principum, per aulas,
Per celsas procerum domos, per arces,
Gynæceaq; cuncta persstrepebam,
Hinc illincq; clientibus superba;
Stirpe creta celebrium Fabrorum,
Auo Bronte nigro, nigroq; patre
Clarorum duce Ubiquitariorum,
Nec non Utopiensium, Fabello
Iacobo sata **UBIQUITAS FABELLA,**
Heu me ! nunc sine equisq; curribusq;
Cultu sordida, nec nitens ut antè,

Nec

Nec pæana mei audiens popelli,
Ipsis sed trivialibus puellis,
Tonstrinisq; & inanibus popinis
Facta fabula; lautioribusq;
Heroum simul exulans culinis,
Et per compita, per vias lutosas,
Vix mecum scapulas trahens macentes,
Pedes vndiq; oberro circulatorix.
Nam pridem mihi avus iacet peremptus,
Brontes Brentius, auctor ille nostræ
Maiestatis. Iniquiora sed nunc
Carum fata etiam abstulere patrem,
Clarorum ducem vbiq; riorum,
Nec non Vtopiensium, Fabellum,
Eram quo fata **UBIQVITAS FABELLA.**
Hic auriga fuit mihi, atq; currus.
Iacet currus equiq; **UBIQVITATIS.**

IACOBI ANDREAE DE- scensus ad inferos.

Uenerat ad Stygiam Faber hinc edentulus aulam,
Cum, quid dente, rogans Dis ait, iste caret?
Excipit Aleto: Pistore hos fregit in hoste,
Ambos dum dentem rodere dente iuvat.
Ergo edentatas ad anus, rex inquit Auerni,
Quâ scelerata iacent Tartara, missus eat.
Quâ fratrum Cadmæa cohors, genus Euryche clarum,
Expectant reliquos post sua fata patres;

Et

*Et quâ pontificum sedes, quos fœda, Caiaphæ
Prostibulum, mundi candaq̃, Roma tulit.
Sic ait: at calum nuper qui miscuit Orco,
Heu discreta nimis comperit illa Faber!*

**IN ACTA SCHMID-
lini ante obitum.
ALCAICVM.**

*S*C Schmidlinus atræ proximus horula,
Fraudum suarum ponere nescius
Finem, seipsum decipit ab miser.
Dum gestat intra conscia pectora
Vulnus, per ævum non medicabile,
Quod falsa prudens dogmata sparserit,
Quod veritatem tam violauerit
Audacter, ipsi bella movens Deo:
Formidat id permittere tangier
Collegio quod verba secat Dei,
Quod possit ipsum cogere dicere
Verum, & fateri pectoris intima.
Perspexit ergo commoda tempora,
Dum Bubenhausi consilijs vacat:
Tum cogit ad se qui Sophiam docent
Ex Ethnicorum propositam libris,
Errata qui concellere nesciant
Ipsius, aut forsitan timeant nimis.
Hoc namq̃ Schmidlini voluit furor,
Ut nullus auderet sacra dogmata
Tractare, qui saltem Sophiæ foret

Additum

Addictus illi, quam Plato maximus
 Tradit, vel eius discipulus grauis.
 Sic sit: Papatum extollere gestijt
 Germanicum peruersus Apostata,
 Ac hostis infensissimus optimi
 Cuiusq;, qui Christum sequitur Ducem.
 Sed sit relictus iudicio Dei
 Schmidlinus, & nos perpetuas Deo
 Trinuni agamus pectore gratias
 Toto, quòd ipsum sustulerit graui
 Morbo peremtum, & reddiderit bonam
 Spem pacis afflictæ grauibus malis
 Ecclesie, fundamus & ad Deum,
 Nostrum parentem, cum lacrymis preces,
 Dignetur vt pacem stabilem dare.

DE BEATO OBITU
 Andreæ Schmidlini.
 E C H O,

Andreæ Schmidlini obitum verè esse beatum
 A vero, siquis fortè negabit E C H O abit.
 Nam cætus Christi, rixis vexatus acerbis,
 Magnum eius sensit morte leuamen,
 E C H O, Amen.

Ac sicut vitam mutauit morte Fabellus:
 Bergica sic etiam tu morieris, E C H O, *Es.*

ALIVD.

Hoc iacet Andreas tumulo, qui blanda Iacobi
 Gerebat ora: seuam Esau sed manum,
 Inui.

Inuisus cunctis, gaudensq; laceffere cunctos,
Et premere, libro non ascriptos Bergico.
Templa, aulasq; scholasq; suis erroribus implens,
Est testis Albis, Ister, Renuis, & Nicer.
Et quia nec superos vsquam, nec Auerua locavit,
Ipse inter ἐμπόχματα primum meruit locum.

ALIVD

Jacobus Andreas Schmidlinus hoc iacet
Sub marmore vir amplissimus.

IN FABRVM καὶ πνευώλιον.

Si, quoties fumos mendaci vendidit ore,
Priuatus toties dente piloq; foret:

Quæritur Andreas edentulus atq; recaluus
Factus erat quanto tempore? quotidiè.

Nunc edentulus atq; recaluus, factus & exfors
Luminis, in fumos venditor ille abiit.

MEMORIÆ SCHMIDLINI.

Hic iacet Andreas Schmidlinus, qui bene noras
Quæ possint homines facere & seruare beatos,
Vt sunt: Principibus populoq; placere, tueri
Dogma, quod his placitum est, specie strepituq; potenti:
Milleq; verborum sicas torquere furente
Lingua in eum, qui stat contra, licet ille loquatur
Quæ nulla possis ratione euertere, censu
Amplificare nouo patrimonia parua, caballos
Egregios equitem premere, & monstrariæ omni
A populo eximium, nimirum cuius habent rem
Vox & verba, arcæ numos, molimina vires,
Inuebitur quacunq;, etiam tunc, cum iuuat ire
Ad Veneres, atq; hîc caliendris digna sonare.

Et sapere, in Regum archæijs habitare, simulq̄
Sacrata in rhetra, vulgi spiramine magno,
Tollere ventosos vtres, cum demitur omnis
Mentis sanæ vsus, diuersa sequentibus. At quæ
Nos sequimur, diuina inuenta feruntur: & esse hos
Vel cæco liquidum. Has artes si, Paule, tuo cum
Petro, alijsq̄, quibus fundata Ecclesia prisca est
Nossitis, populo & ducibus grati esse, carere &
Carnificina ac supplicijs quæssitis, & isti
Consimiles, locuplete penu gaudere, tenere
Magnificas ædes, ampla atria, prædia, fundos,
Vestraq̄ ad ignotos extendere rura colonos.
At vos simplicitas agrestis & horrida egentes
Dum iuuat, ab, neq̄ vestra gynæceis, neq̄ Regum
Complacuit virtus mensis, aliterq̄ vagari
Vos, quam Fabriculam hunc, algerere & egere decebat;
Fortunæ quando ipse Faber sibi quisq̄ suæ esse
Assolet, vt fuit hic etiam, multiq̄ magistro huic
Qui se discipulos dociles præbere suæti,
Exemplar vitæ clarum ac illustre sequuntur.
Fortunate senex, longeq̄ beatior illis
Quos dixi, quorum similes vix tempore paruo
Exstiterint, postquam autores mors abstulit ipsos;
At tua dum terris facies antiqua manebit,
Turba ingens, inuicta, nec enumeranda nepotum
Exempla aspiciens, laudabit, amabit: & inde
Semper honos, nomenq̄ tuum, laudescq̄ manebunt.


CALLIOPIVS
VOS VALETE ET PLAV-
DITE.

106

11



7254



B.I.G.

Farbkarte #13

QK.525- no. 78. B. m. II, 476^a

Farrago

ELLOGIORVM

ATQVE EPITAPHIO-

RVM IACOBI ANDREÆ SCHMI-

delini, cognomento Volaterrani, Apo-

stoli Ubiquitatis, hostis blasphemæ ve-

ritatis & gloriæ filii Dei, ac persecu-

toris crudelissimi ortho-

doxorum,


COLLECTA IN GRA-

tiam Patronorum utriusque

Ubiquitatis.

BIBLIOTHECA

PONICKAVIANA



OE STROPOLI,

Anno

M. D. XC.